



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum


Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VIII. De Lege irritante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Resp. neg. ant. Nam gravis obligatio in conscientia, quam lex intendit imponere, sufficienter cognosci potest vel ex verbis legis, vel ex materia, vel ex aliis circumstantiis.



DISPUTATIO VIII.

De Lege irritante.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum dari possint leges irritantes, & an sint penales.

RESPONSIO I.

Dari possunt leges humanae irritantes, *Prob.* Valer ab actu ad potentiam. Atqui in utroque iure civili & canonico, dantur leges irritantes, seu requirentes in multis contractibus certas condiciones, sine quibus, vi legum illarum, invalidi sunt quoad morales effectus, qui per illos fieri possunt, & re ipsa fierent, si validi essent.

Ratio à priori est, quia 1. Potestas irritandi contractus non est contraria juri naturali. 2. Ad bonum commune, & rectam gubernationem requiritur, cum sine tali potestate, fraudes aliaeque gravia incommoda, & reipublicae multum nociva, impediri saepe nequeant. Sed pro sequentibus propositionibus.

Nota. Legislator potest aliquem actum irritare dupliciter, directè scilicet & indirectè. Irritat indirectè, cum aliquid per legem primariò constituit, & ita consequenter tantum prohibet & irritat. Talis est lex dans formam actui, & consequenter irritans talem actum factum sine tali forma, ut lex requirens ad valorem testamenti certum numerum testium. Legislator irritat directè, quando per legem prohibet aliquem actum cum verbis sufficientibus ad irritandum. Talis est lex prohibens matrimonium Religiosi professi, aut Clerici in sacris constituti. Hujusmodi autem prohibitio cum irritatione conjuncta, fieri potest ob finem triplicem. 1. Propter bonum commune, quia scilicet ad cultum divinum, vel religionis decetiam, cui provideri bonum commune postulat, ita expedit. 2. In favorem aliquarum personarum, puta ut earum fragilitati subveniatur. 3. In odium personarum, seu actionis ejus.

Porro actus irritatio separari non potest ab inhabilitate personarum; & quoties legislator irritat aliquem actum, sive directè, sive indirectè, toties inhabilitat personam: quoties enim aliquem actum irritat, toties reddit voluntatem subditi inefficacem & impotentem ad aliquid, nempe ad contrahendum, vel ad acquiendum, aut transferendum dominium, &c. quæ voluntatis subditi inefficacia & impotentia est personarum inhabilitas. Hinc efficitur personas aliquando inhabilitari simpliciter ad aliquem actum in specie, quando aliquis actus in specie simpliciter irritatur, ut patet in lege irritante matrimonium clerici in sacris constituti; aliquando inhabilitari respectivè tantum, quando actus irritatur tantum respectivè ad tales personas, v. gr. ut patet in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum; aliquando denique inhabilitari ad aliquem actum tali modo faciendum, quando irritatur actus tali modo factus, ut patet in lege irritante matrimonia clandestina.

RESPONSIO II.

Lex irritans actum indirectè tantum, & consequenter ad institutionem formæ servandæ in contractu, non est penalis.

Prob. Lex enim hoc modo irritans aliquem actum, nullam supponit culpam, sive propriè, sive latè dictam, propter quam actum irritet; & neminem intendit punire, sed solum providere bono communi,

instituyendo formam actui quasi substantialem, & sine qua proinde valere non possit actus ad præstandos effectus morales, qui per illum intenduntur. Lex igitur hoc modo irritans aliquem actum, moralis est, non penalis.

RESPONSIO III.

Lex prohibens actum, & irritans illum intuitu boni communis, vel privatorum, quod in bonum commune aliquo modo redundat, non est penalis.

Prob. Quia talis lex actus irritationem neque intendit in odium personarum, neque in vindictam culpæ propriè dictæ, neque tanquam onus vel incommodum, quod imponat omittenti vel ponenti aliquem actum, quem fieri vel non fieri exigit, licet sine absoluto præcepto illum faciendi vel non faciendi. Quod si hujusmodi irrationes aliquando cedant in detrimentum alicujus personarum, hoc est præter intentionem legislatoris, qui tale detrimentum non intendit, & multò minus intendit ut puniat.

RESPONSIO IV.

Lex prohibens & irritans actum in odium personarum, seu in vindictam culpæ propriè dictæ, etiam qua irritans, penalis est.

Prob. Lex enim irritans, etiam quæ irritans, penalis est, quando intendit irritationem sub ratione pænæ, ut patet ex terminis. Atqui lex prohibens & irritans actum in odium personarum, seu in vindictam alicujus culpæ, intendit irritationem sub ratione pænæ, quod convenientissimè facere potest. Nam irritatio est magnum incommodum, & saepe valde accommodatum delicto vindicando. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrum, quando, & ad quid obligent leges irritantes.

RESPONSIO I.

Lex dans formam actui, & ita indirectè & consequenter tantum irritans ipsosactum actum carentem tali forma, non obligat quidem ad exercitium actus, sed obligare potest ad non exercendum actum sine tali forma; & re ipsa ita obligat, quando vel se obligare velle significat sufficienter, vel id materia legis ex natura sua postulat.

Prob. 1. pars. Quia talis lex nullum actum absolute præcipit. Sic lex dans formam matrimonio, vel testamento, non præcipit ut matrimonium contrahatur, aut condatur testamentum. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Potestas enim obligandi in conscientia ad non faciendum actum sine tali forma, non est injusta, & pertinere potest ad convenientem & utilem reipublicæ administrationem. Ergo negari non potest legislatori, lege sua danti formam actui propter bonum commune, aut propter aliud bonum, in bonum commune aliquo modo redundans. Ergo revera obligat, si satis exprimit se velle obligare; in quo non est difficultas. Ergo etiam si non exprimat se velle obligare, adhuc obligat, si materia circa quam versatur lex, hoc est, si actus cui lex dat formam, talis sit ex natura sua, ut inhonestum sit velle illum facere, quando non potest fieri validè: tunc enim lex dans formam actui, sine qua validè fieri non potest, censenda est velle obligare in conscientia ad non faciendum illum sine tali forma. Sic v. gr. lex dans formam matrimonio, hoc ipso censenda est graviter obligare in conscientia ad non contrahendum matrimonium sine tali forma, quia matrimonium contractum sine tali forma, invalidum est, & est inhonestum velle contrahere matrimonium invalidum. Ex his manet probata pars tertia responsionis.

RESPONSIO II.

Lex prohibens directè aliquem actum, & huic prohibitioni irritationem addens ipso facto, obligat in conscientia ad vitandum illum actum.

Prob. Nam talis lex est iusta. Ergo prohibendo actum, obligat ad illum vitandum: irritatio enim addita prohibitioni, non impedit effectum ejus, qui est obligare, sed è contra obligationem auget; tum quia legislator actum non solum prohibendo, sed etiam irritando, gravius prohibet, & significat se velle prohibere, & obligare quantum potest; tum quia ex natura rei gravius est, & rationi magis adversatur facere actum non solum prohibitum, sed etiam irritum, quam facere actum prohibitum tantum. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Lex purè irritans, etiam si ipso facto irritet, non obligat in conscientia ad vitandum actum quem irritat.

Prob. Hoc ipso enim quod lex purè irritat, non continet præceptum vitandi actum quem irritat, ut patet ex terminis. Atqui obligatio in conscientia vitandi aliquem actum, non potest esse sine præcepto illum vitandi. Ergo, &c.

Talis est v. gr. lex irritans renunciationem paternæ hereditatis, quam filia, dote contenta, facit, cum nuptui traditur: tunc enim filia non peccat; tum quia potest renunciare juri suo, quantum potest, tum quia lex non continet prohibitionem renuncianti; & si contineret, videretur nimis dura & injusta respectu filiae, cui tamen favere intendit.

RESPONSIO IV.

Lex ipso facto irritans, obligat in conscientia ad ea omnia, quæ intrinsecè ex irritatione consequuntur, nisi tamen effectus legis seu irritatio impediatur.

Prob. Nam lex ipso facto irritans actum, privat illum omni utilitate morali; ad hoc enim à lege ipso facto irritatur, ut omni utilitate morali careat. Ergo omnis moralis usus illius illicitus est, vi legis illum ipso facto irritantis; non enim potest per legem privari omni utilitate morali, quin simul & indivisibiliter omnis moralis usus illius per legem reddatur illicitus. Hinc vi legis actum ipso facto irritantis obligamur in conscientia ad ea omnia, ad quæ tenemur ex natura rei, & consequenter lege naturali, ex hypothesi nullitatis actus, seu, quod idem est, ad ea omnia quæ intrinsecè consequuntur ex actus irritatione. Hinc v. gr. lex ipso facto irritans acquisitionem fructuum beneficii, in conscientia obligat, ne subditus ea utatur, propter illam fructus beneficii retinendo, qui proinde non solum vi legis naturalis, supposita nullitate actus, sed etiam vi legis humanæ, actum ipso facto annullantis, teneretur in conscientia ad fructuum illorum restitutionem. Dixi autem, nisi tamen, &c. quia sublato obligationis fundamento, quod est actus irritatio, necessariò tolleretur ipsa obligatio.

RESPONSIO V.

Lex non irritans actum ipso facto, sed solum præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam judicis.

Prob. Nam si privatas personas obligat, vel obligat ad actus irritationem, vel ad ea quæ intrinsecè consequuntur ex irritatione actus. Neutrum dici potest. Non primum; nam irritatio est actus proprius potestatis publicæ, & ita si non sit per legem, per judicem fieri debet. Non etiam secundum; nam lex non obligat, nec obligare potest ad ea quæ intrinsecè consequuntur ex actus irritatione, si non est hæc irritatio: in præsentem autem casum non est ante judicis sententiam.

ARTICULUS III.

Utrum & quomodo impediri possit irritatio actus, quando lex irritat actum ipso facto, & ante sententiam judicis.

RESPONSIO I.

QUando lex irritat aliquem actum in vindictam culpæ, licet ipso facto irritet, irritatio actus impeditur per ignorantiam, vel aliam similem causam, quæ culpam illam excusat.

Prob. Nam sublata causa adæquata, tollitur effectus. Sed culpa, in cuius solius vindictam imponitur irritatio actus ipso facto, est causa adæquata irritationis actus. Ergo impedita culpa, in cuius solius vindictam actus irritatur ipso facto, impeditur actus irritatio. Ergo, &c. Hinc v. gr. qui omnino inculpabiliter, puta ex oblivione merè naturali, omittit officium divinum, facit fructus suos, non obstante lege pœnali, fructuum acquisitionem ipso facto irritante, & contra non recitantes officium divinum lata.

Obj. Collatio beneficii simoniacè facta, est ipso facto irrita, quamvis beneficium collatum sit ignorantiam inculpabiliter simoniam. Atqui tamen irritatio illa est pœnalis, & facta in vindictam culpæ, nempe simoniæ. Ergo, &c. *Resp.* Nos hic tantum dicere, quod inculpabilis ignorantia impediatur irritationem actus, qui in vindictam alicujus culpæ irritatur, quando impedit culpam, cui actus irritatio imposita est. In casu proposito, inculpabilis ignorantia quam habet is, cui beneficium confertur, non impedit culpam, in cuius vindictam irritatur collatio beneficii: non enim impedit, ne ei beneficium conferatur simoniacè, & ita non impedit crimen simoniæ, propter quod irritatur beneficii collatio. Mirum igitur non est, quod nec impediatur, nec impediri possit irritationem collationis.

Præterea, in casu proposito, irritatio non est purè pœnalis, nec habet pro causa adæquata culpam aliquam: non enim solum inducta est ad vindicandum crimen simoniæ, sive is cui confertur beneficium, sit conscius illius, sive non; sed etiam ad vitandam rerum sacrarum indecentiam, quæ ex simonia oritur, & amovendam ab iis qui ecclesiastica beneficia validè consequuntur, omnem simoniæ notam & infamiam.

RESPONSIO II.

Quando lex irritat actum ipso facto, quamvis irritet tantum in vindictam alicujus culpæ, irritatio actus non impeditur per ignorantiam, etiam inculpabilem solius irritationis.

Prob. Nam ignorantia non impedit irritationem actus, quam lex imponit ipso facto in vindictam alicujus culpæ, nisi impediendo ipsam: non enim potest impedire effectum, nisi impediendo causam ejus. Causa autem irritationis ipso facto imposita in culpa vindictam, est ipsa culpa. Atqui ignorantia etiam inculpabilis irritationis solius, non impedit culpam propter quam ipso facto per legem imponitur. Ergo, &c. Hinc beneficiarius peccans non recitando officium divinum, non facit fructus suos, & obligatur in conscientia ad eorum restitutionem, etiam si inculpabiliter ignoret pœnam irritationis contra non recitantes statutam.

RESPONSIO III.

Quando lex absolute & simpliciter prohibet & irritat actum ipso facto propter bonum commune, irritatio actus nunquam impeditur, lege stante in suo vigore, nec interveniente Principis dispensatione.

Prob. Nam cum legislator absolute & simpliciter prohibet & irritat aliquem actum ipso facto propter bonum commune, vult illum irritare pro quolibet casu morali: leges enim hujusmodi non feruntur, nisi

nisi propter gravissimam causam, & quæ proinde postulat ut semper effectum suum habeant, & pro quocumque casu irritet. Ergo, &c. Porro potestas irritandi actum ipso facto pro quocumque casu morali, propter gravissimam & urgentissimam causam ad bonum commune pertinentem, non repugnat juri naturali, imò juri naturali maximè consentanea est, utporè ad bonum commune & rectam gubernationem vel necessaria, vel saltem maximè utilis.

Obj. 1. Metus gravis impedit irrationem actus, quamvis lex absolute & simpliciter prohibeat & irritet actum propter bonum commune. Ergo, &c. Nam lex humana non potest obligare cum tanto rigore, ut si gravis metus mortis immincat nisi fiat actus, adhuc tamen obliget ad non faciendum actum, & impediat ne valide fiat. *Resp. neg.* & dico, legem humanam id posse, cum ad bonum commune necessarium est, aut saltem valde expedit. Necessarium autem est, aut saltem valde expedit ad bonum commune, ut lex absolute & simpliciter prohibens & irritans actum aliquem propter commune bonum, habeat effectum suum, etiam in gravi periculo mortis, saltem quantum est actus irrationem.

Dico autem, quantum est ad actus irrationem: nam si actus talis est, ut licite fieri possit, etiam cum invalide sit, tunc propter grave mortis periculum lex fortasse non obligabit in conscientia ad omittendum actum, & solum irritabit illum, quod fortasse bono communi sufficit in tali casu. Bonitas autem nostræ responsionis ex eo valide confirmatur, quod si propter gravem mortis metum, leges absolute & simpliciter prohibentes & irritantes actus aliquos propter bonum commune, non haberent effectum suum, saltem quoad actum irrationem, homines inde fumerent occasionem incutiendi metum hujusmodi ad eludendas leges illas, & ut valide fierent actus, qui alioquin invalidi essent; quod bono communi maximè oboest, & in gravissimum reipublicæ detrimentum redundaret.

Obj. 2. Quamvis lex absolute & simpliciter prohibeat & irritet actum propter bonum commune, cessat tamen irritatio, quando is cujus interest, juri suo renunciat. Ergo, &c. *Resp. neg. ant.* Nam talis lex respicit bonum commune in actus irratione, cujus boni communis consideratio non cessat, quantumvis privatum personæ alicujus incommodum cessare videatur per voluntariam juris renunciationem; nec potest quis derogare bono communi, cedendo bono proprio. Hinc lex v. gr. irritans matrimonium meum contractum, habet effectum suum, & matrimonium invalidum est, quamvis ille qui metum patitur, velit renunciare juri suo, & valide contrahere.

Dico. Lex ad professionis validitatem postulans integrum probationis annum, generalis erat ante Concilium Tridentinum, & tamen cessabat irritatio, si is cujus intererat, cedebat jure suo. Ergo etiam in legibus de quibus agitur, cessare potest, & cessat irritatio, eo, cujus interest, cedente jure suo. *Resp. neg. conseq.* Ratio disparitatis est, quia lex illa antiqua, non absolute & simpliciter prohibebat & irritabat professionem religiosam, factam ante annum probationis expletum, sed solum sub hac conditione, nisi utraque pars, cujus intererat, hoc est, nisi novitius & conventus cederent jure suo, seu liberè consentirent in professionem factam ante integrum probationis annum.

Præterea, lex illa non fuit lata primariò & immediate propter bonum commune status religiosi, sed propter bonum privatum contrahentium, & dependenter ab eorum renunciatione, ut patet ex cap. *Ad apostolicam* de Regularibus, ubi de anno probationis, olim requisito ad professionis validitatem, dicitur: *Qui in subsidium fragilitatis humanae noscitur institutus*. Contra verò lex qua Trident. Conc. sess. 25. in decreto cap. 15. prohibet & irritat professionem religiosam factam ante annum ætatis 16. expletum, & ante annum integrum probationis, primariò & im-

mediatè intendit bonum commune status religiosi, & propter illud absolute & simpliciter prohibet & irritat: unde semper habet effectum suum, & professio facta ante annum ætatis 16. expletum, & integrum probationis annum, semper est nulla, quantumcumque contrahentes, hoc est, novitius & conventus, juri suo renunciare intendunt.

Obj. 3. Leges aliquæ, absolute & simpliciter prohibentes & irritantes, fundantur in præsumptione. Atqui sæpè contingit præsumptionem non esse conformem veritati. Ergo sæpè contingit leges illas non habere effectum suum: cessante enim fundamento irrationis, irrationem ipsam cessare necesse est. Ergo, &c. *Resp.* leges illas, absolute & simpliciter prohibentes & irritantes, quæ fundantur in præsumptione, fundari non in præsumptione facti, sed in præsumptione, vel potius in certa scientia periculi. Sic lex absolute & simpliciter prohibens & irritans professionem religiosam factam ante annum ætatis 16. expletum, & annum probationis integrum, non prohibet & irritat professionem sic factam, quia professio sic facta, fit sine sufficienti judicio, & deliberatione, & vitæ religiosæ experientia; sed quia morale & certum periculum est, ne fiat. Semper igitur leges hujusmodi habent effectum suum, & semper irritant, siue factum quod timetur, existat, siue non; quia si ve existat, siue non, semper existit periculum, semperque illius amovendi consideratio, qua sola movetur legislator, subsistit.

Obj. 4. Saltem leges civiles, quamvis absolute & simpliciter irritent, non irritant pro quocumque casu morali: nam jus utrumque, canonicum & civile, docet contra leges illas juramenta sustinenda esse, quando sine animæ dispendio impleri possunt. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. De legibus civilibus, non solum irritantibus, sed etiam prohibentibus absolute & simpliciter. *Ad prob. Resp.* Jus utrumque loqui de legibus civilibus, purè irritantibus. Magnum autem discrimen est inter leges purè irritantes, & leges non solum irritantes, sed etiam prohibentes absolute & simpliciter: hæ enim feruntur primariò & immediatè, saltem regulariter, propter bonum commune, cui derogare non potest renunciatio proprii juris, & quod proinde, non obstante qualibet juris proprii renunciatione, postulat ut actus prohibitus, sit irritus. Leges verò purè irritantes feruntur in favorem privatorum, cui favori renunciare possunt, & renunciando fortasse impedire actus irrationem, quia fortasse leges illæ non irritant actum absolute, sed tantum sub tacita conditione, nisi is cujus in favorem lata est lex, juri suo renunciaverit.

Dico, fortasse: nam multum verisimile est leges illas, quamvis purè irritantes, absolute irritare, & ita actum, non obstante qualibet juris proprii renunciatione facta, irritum esse. Nec negotium facessit, quod utroque jure dicitur, juramenta sustinenda esse contra leges civiles irritantes, quando sine dispendio, animæ sustineri possunt: hoc enim dicitur, non quia juramentum actus irrationem impedit, sed quia per illud, actus qui per legem non erat prohibitus, perinde sustinetur, ac si per legem irritatus non esset.

RESPONSIO IV.

Quando lex constituit formam substantialem, servandam in actu, & sic indirectè irritat ipso facto actum, sine tali solemnitate factum, tunc actus sine tali solemnitate facti irritatio impediri nullatenus potest, lege stante in suo vigore, nec interveniente Principis dispensatione.

Prob. Cum enim forma, lege constituta, ut in responsione dicitur, sit substantialis actui, sub ratione talis contractus, professionis, testamenti, &c. & res nulla subsistere, & suum esse habere possit sine forma sua substantiali; alioquin hæc forma simul esset substantialis, & non esset; manifestum est sine forma per legem constituta actum nullatenus subsistere posse, & hæc

& habere suum esse in tali vel tali ratione contractus, professionis, testamenti, &c. Hinc matrimonium semper invalidum est, si celebretur sine solemnitate requisita à Concilio Tridentino in iis locis, in quibus lex Concilii promulgata fuit, quamvis contrahatur ex inculpabili ignorantia huius legis, vel ex gravi metu mortis, aut alterius nocuenti gravissimi.

ARTICULUS IV.

Utrum & quomodo impediri possit irritatio actus, quando lex non irritat illum, nisi dependenter à sententia iudicis.

RESPONSIO.

QUANDO lex irritat actum dependenter à sententia iudicis, potest actus irritatio impediri multis modis; & quando per sententiam iudicis non irritatur, manet validus.

Prob. Nam 1. irritatio actus impediri potest, & quidem licite, quando actus ita occultus est, ut in iudicio probari nequeat: nemo enim ex vi talis legis tenetur actum suum irritare, aut ejus irritationem procurare, sed potest expectare legitimam iudicis inquisitionem, quæ tamen legitima esse non potest, quandiu res est occulta. Si quæ autem in actu irritabili injuria illata est, is qui intulit, tenetur illam, & damna ex illa secuta rescire, non expectata iudicis sententia. Sic v. gr. qui rem emit infra dimidium iusti pretii, tenetur in conscientia, & non expectata sententia iudicis, supplere id quod iusti pretii deest, & damna secuta reparare, quamvis non teneatur emptionem, quantumcumque irritabilem, rescindere.

2. Etiam si actus sit publicus, & probari possit in iudicio, potest tamen & quidem licite impediri ejus irritatio ex consensu partium, modo consensus ille non imperet paribus, ut actum irritent, aut ejus irritationem apud iudicem prosequantur, sed solum iudici præcipit, ut, cum res ei constiterit, sententiam ferat.

3. Item etiam si actus sit publicus, ejus irritatio impediri potest etiam licite per legitimam præscriptionem contra actionem, seu actorem: cum enim irritatio fieri nequeat sine actione judiciali, & hæc actio excludatur per legitimam præscriptionem, per legitimam præscriptionem irritatio impeditur, & actus firmatur: in hoc autem casu, qui contra actionem legitimè præscripsit, nihilominus tenetur rescire damnum, si quod intulit.

4. Licet actus sit publicus, probabilis, & ad iudicem delatus, potest adhuc irritatio actus efficaciter impediri: potest enim iudex non ferre sententiam, vel ferre injustam, & sic potest non rescindere actum, qui tamen manet validus, quandiu non rescinditur. At qui injustè impedit irritationem, si damnum intulit impediendo, tenetur illud reparare, sive ille iudex fuerit, sive falsus testis, sive alia tertia persona, sive ipsemet reus, injustè seipsum defendendo. Imò si reus ipse injustè impedit irritationem actus, per quem actoris bona injustè adeptus est, tenetur damnum rescire in specie, & consequenter actum rescindere.

ARTICULUS V.

Utrum lex omnis purè ac simpliciter prohibens actum aliquem, hoc ipso irritet illum; ita ut omnis actus, contra legem prohibentem factus, irritus sit.

RESPONSIO I.

EX sola rei natura lex purè ac simpliciter prohibens actum aliquem, non irritat illum.

Prob. Ut lex ipso facto irritet, necesse est, ut id per ejus verba sufficienter exprimat: ea enim est legis natura, ut nihil possit operari, nisi quod sufficienter exprimit, quia ea est humane voluntatis potestas, ut non sit ad extra efficax, quantumcumque id velit, nisi exprimat sufficienter, proindeque voluntas legislatoris, quantumcumque intendit obligare, vel etiam irritare, neutrum habere potest effectum, nisi exterius expressa sufficienter, & intimata. Atqui per solum verbum præcipiendi, vel prohibendi, non exprimitur sufficienter actus irritandi.

RESPONSIO II.

Leges civiles, purè ac simpliciter prohibentes actum, irritant illum in terris Imperio subiectis, & irritant ipso facto, & in conscientia, ante iudicis sententiam.

Prob. Ex lege *Non dubium*, cod. lib. 1. tit. 14. in qua Imperator sic loquitur: *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsistentem, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres quam novellas trahi generaliter imperamus: ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat; ceteraque quasi expressa ex legis licet voluntate colligere: hoc est, ut ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere quod factum est. Sed & si quid fuerit subsistentem ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque casum atque inutile esse præcipimus. Secundum itaque prædictam regulam, quæ ubique non servari factum lege prohibente censuimus, certum est, nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec sacramentum admitti. Ex quibus sic argumentor. Potest legislator, si velit, contractus factos contra legem purè prohibentem, irritare ipso facto, & in conscientia, ante sententiam iudicis, & hoc se velle, per verba legis citata, sufficientissimè videtur exprimere. Ergo, &c.*

RESPONSIO III.

Leges civiles, purè ac simpliciter prohibentes actum, non irritant illum in terris non subiectis Imperio.

Prob. Nam si irritant, vel irritant ex natura rei, & vi purè ac simplicis prohibitionis, vel vi legis *Non dubium*, vel vi denique alterius legis, vigentis in terris pro quibus latae sunt. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex Resp. I. Non secundum: nam lex *Non dubium* non extenditur ad terras quæ non sunt Imperio subiectæ, quia nullam in illas jurisdictionem habet Imperator: non enim habet, aut habere potest jurisdictionem aliquam, nisi in subditos Imperio. Non denique tertium; quia nulla talis lex assignari potest. Hinc in Gallia v. gr. & Hispania, leges civiles purè ac simpliciter prohibentes actum, non irritant illum.

Obj. 1. Voluntas inferioris non potest esse efficax contra voluntatem superioris. Sed quando lex etiam purè ac simpliciter prohibet aliquem actum, voluntas superioris resistit voluntati inferioris quoad actum illum. Ergo voluntas inferioris quoad actum illum non potest esse efficax, & consequenter non potest illum validè efficere.

Resp. Voluntatem inferioris non posse efficacem esse contra voluntatem superioris, in eo, in quo voluntas superioris resistit actui ejus. Unde si voluntas superioris resistit valori actus, actus non potest esse validus: si verò tantum resistit honestati, & libertati morali actus, actus non potest quidem esse honestus & licitus, at potest esse validus. Quando autem lex purè ac simpliciter prohibet aliquem actum, voluntas superioris resistit tantum honestati, ac libertati morali actus: unde tunc inferioris voluntas non potest

potest quidem nisi malum moraliter actum facere; at si facit, validum facit, nisi lex alia in subsidium legis purè prohibentis veniat, & actus valori resistat.

Obj. 2. Actus non sunt validi sine adminiculo juris. At jus non cooperatur actibus, qui sunt contra legem prohibentem. Ergo, &c. *Resp.* Ad hoc ut actus sint validi, eos per se loquendo non indigere adminiculo juris, seu non indigere, ut jus illis positivè assistat, sed satis esse, quòd illis non resistat irritando: quando enim voluntati humanæ per voluntatem superioris facultas non adimitur, vel impeditur quoad potestatem & valorem actus, tandiu ex natura rei validè contrahit, donat, & alia similia facit.

RESPONSIO IV.

Leges ecclesiasticæ non irritant actum, quem purè & simpliciter prohibent.

Prob. Nam si irritant, vel irritant ex natura rei, vel propter legem *Non dubium*, vel denique propter legem aliam ecclesiasticam, irritantem actus factos contra leges ecclesiasticas, purè & simpliciter prohibentes. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex dictis superius. Non secundum, quia lex *Non dubium*, cum sit civilis, non interpretatur leges ecclesiasticas. Præterea, dici non potest, quòd fuerit canonizata, ut mox ostendetur. Non denique tertium, quia nulla lex hujusmodi assignari potest. Ergo, &c.

Obj. Gregorius Papa lib. 1. Registri indict. 2. ep. 7. canonizavit legem *Non dubium*: nam ita loquitur: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges sunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Et cap. *Quæ contra*, de regulis juris in 6. dicitur: *Quæ contra jus sunt, debent utique pro infectis haberi.*

R. ad 1. Gregorium loco laudato declarare testamentum cujusdam Abbatis invalidum esse, quia factum erat contra legem Justiniani, prohibentem monachos testari, cujus effectum ostendit per verba laudata. At non acceptat legem *Non dubium*, ut vim habeat in jure canonico. *Resp. ad 2.* Regulam allegatam, vel tantum instruere judicem, ut rescindat ea quæ contra leges prohibentes facta sunt, si poterunt & merebuntur rescindi, vel intelligendam esse de iis quæ sunt contra leges statuentes formam substantialem actui, & sine qua proinde actus validus esse non potest.

DISPUTATIO IX.

De interpretatione, dispensatione, abrogatione, & cessatione legum humanarum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quotplex sit legum humanarum interpretatio.

I. Interpretatio legum humanarum triplex est, authentica, usualis, & doctrinalis. Authentica est ea, quæ sit autoritate illius, qui legem potest ferre. Usualis est ea, quæ sit per ulum & consuetudinem, quæ est optima legum interpretes. Doctrinalis denique est ea, quæ sit per doctrinam & explicationem peritorum. Hæc autem postrema interpretatio à duabus prioribus differt in eo, quòd non habeat vim legis, quia non procedit ab habente potestatem jurisdictionis: unde detegit tantum obligationem, non eam facit. Quòd si obligationem deregat evidenter, aut certò moraliter, quia omnes aut penè omnes Doctores in eundem legis sensum consentiunt, tunc lex servari debet juxta sensum illum: Si verò Doctores inter se dissentiant circa sensum legis, tunc quilibet, tuta conscientia, sequitur interpretationem, sibi omnibus maturè ponderatis, verisimiliorem, quamvis libertati faveat.

Porro ad faciendam interpretationem doctrinalem, diligenter considerare oportet proprietatem verborum legis, rationem seu causam legis, præsertim si in lege expressa est; materiam legis, & circumstantias, aliaque adjuncta, quæ aliquid possunt conferre ad detegendam legislatoris mentem & intentionem, quæ etiam conjici potest ex aliis legibus, in quibus eadem verba, vel similia, in tali sensu accipiuntur; vel ex eo, quòd alioquin verba legis continerent injustitiam, vel absurditatem: nam correctio legum odiosa est, & quantum potest, vitari debet; vel denique ex eo, quòd alteri legi repugnant: leges enim debent inter se conciliari, & alia per alias explicari.

2. Interpretatio legis iterum duplex est, una simplex, qua interpretamur verborum ambiguitatem, & altera per æquitatem, qua interpretamur casum aliquem particularem non comprehendi in lege, quamvis verba legis clara sint, & ad casum illum extendi videantur, quia generalia sunt; & hæc interpretatio vocatur Epykia, quæ à Doctores cum Aristotele communiter definitur, Emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale, hoc est, æqua & rationalis interpretatio legis, quod non obligat in aliquo casu particulari, quamvis generalibus verbis lata sit à legislatore. Unde Epykia est restrictio quadam legis in certis casibus, quos rationabiliter præsumitur non comprehendere, licet ejus verba id præferant, quia generalia sunt.

Porro quandoque necessarium est & obligatorium uti Epykia, quando qui legem observaret, contra rectam rationem ageret; quandoque verò licitum est, sed sine necessitate & obligatione morali, quando lex observari potest absque peccato, imò & laudabiliter per actum heroicum; tamen non obligat cum tanta necessitate ad sui observationem.

ARTICULUS II.

Penes quos sit potestas dispensandi in legibus humanis.

Nota. Dispensatio propriè dicta, de qua hic agitur, est legis relaxatio circa personas aliquas, vel aliquos actus, aut effectus legis in iis casibus, in quibus alioquin lex obligaret, aut talem effectum haberet. Unde potestas hoc modo dispensandi, est potestas jurisdictionis, & est duplex, ordinaria scilicet, & delegata. Ordinaria est ea, quæ competit alicui, ratione sui officii, seu ex vi sui muneris: delegata verò est ea, quam quis habet ex concessione illius qui ordinariam habet. Hæc autem potestas delegata concedi potest duplici modo, nempe, ut loquuntur, ab homine, vel à jure. Quòd si à jure datur, transit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat per mortem concedentis: si verò datur per simplicem commissionem, mortuo vel amoto delegante, cessat, si res est integra. Quocumque autem modo detur, est favorabiliter & amplè interpretanda, salva proprietate verborum, quia est beneficium Principis, & ad bonum commune valde utilis, si prudenter & moderatè ea utatur delegatus.

RESPONSIO I.

Potestatem dispensandi in lege humana ordinariam habet Princeps, vel alius superior, qui eam tulit; item successor illius cum pari potestate; item, qui potestatem habet superiorem circa eosdem subditos.

Prob. 1. pars. Nam ad eandem potestatem pertinet ferre legem, & in ea dispensare. *Prob. 2. pars.* Nam qui succedit cum pari potestate, reipso potest id totum, quod potuit is cui succedit. *Prob. 3. pars.* Nam superior potest abrogare legem inferioris. Ergo à fortiori ordinariam habet potestatem in ea dispensandi.

RIS.